

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput III. De anima sororis Mechtildis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Ex charitate
orationes
fiant pro
defunctis.

quas dilecto meo cum gaudio offero. » Ostenditque ei in pallio suo rosas pulcherrimas, in medio aureum folium habentes, et ait : « Hoc aureum folium cordis est folium, scilicet charitatis, unde orationis effectus procedit; quia ex charitate, non ex debito, talia mihi offertis. » Tunc illa : « Quid vero de iis fit quæ Sanctis offerimus? » Respondit : « Singuli sibi oblata cum gratitudine similiter accipiunt, et cum gaudio Deo regi suo præsentant; etiam si omnibus Sanctis unum tantum dicas *Pater noster*, ea intentione quod si posses, unicuique unum sigillatim legeres, tunc omnes illud singuli totum accipiunt, ac si cuilibet dixeris sigillatim. »

CAPUT III.

DE ANIMA SORORIS MECHTILDIS.

DUM felicis memoriæ Soror M. defuncta esset, anima ejus taliter est ipsi revelata. Vidit ergo animam ejus in specie virginis pulcherrimæ, amictam viridi sindone, coronam auream habentem in capite, et stantem in medio multitudinis Virginum et Sanctorum qui eam nimio inter se ducebant affectu; et agnovit in spiritu quod esset in expectatione glorificationis suæ, quæ foret perficienda illa hora cum ad Missam sacrosancta offerretur hostia. Tunc seipsum Dominus quodam speciali modo dare vellet animæ ejus, pro eo quod aliquanto tempore infirmitate corporis fuerat impedita Christi corporis percipere sacramenta.

Deinde cum cantaretur Offertorium, *Domine Jesu Christe*, et nullus adesset qui pro illa paupercula oblationem faceret,

videbatur sibi ipse Rex gloriæ, virtutum sponsus, accedens Deo Patri, offerret omnia sua divina opera, orationes, labores et passionem sanctissimæ humanitatis suæ, cum gloria suæ divinitatis excellentissimæ, in augmentum gloriæ et gaudii novæ sponsæ suæ. Dehinc beata Virgo, Mater sponsi virginalis gloriæ, accedens, sacrificavit omnia dona, gratias et virtutes sibi collatas, in augmentationem gloriæ sponsæ Filii sui. Deinde Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, singuli quique Ordines Sanctorum accedentes, eadem faciebant. Cum vero sacrosancta offerretur hostia, apparuit a parte Orientis lux quædam mira et ineffabilis, quæ videbatur significare gloriam divinitatis, in qua rapta est beata illa anima; ibique percepit illam felicissimam de qua supra dictum est communionem, et veram ac dulcissimam Dei associationem et fruitionem, omniumque laborum et dolorum plenam et superabundantissimam remunerationem, de qua magis credere quam cogitare aliquid, vel dicere potest cor humanum.

Christus
et Sancti
pro animæ
offerunt sua
merita.

In gloriam
post Hostiæ
oblationem
rapta est
anima.

CAPUT IV.

DE ANIMA PIÆ YSENTRUDIS INCLUSÆ.

FELICIS memoriæ Ysentrudis inclusæ animam etiam hoc modo ad Dominum transisse cognovit. Videbatur enim sibi quod omnes Ordines Angelorum in ejus gloriam et honorem eam obsequendo præirent, eo quod omnium similitudinem et societatem quadam speciali dignitate obtineret. Angelicis namque spiritibus coæquabatur in charitativo et humili obsequio, quod omnibus ad se venientibus exhibebat.

Angelorum
ordinibus
pia inseritur
anima.